



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 25. An liceat Catholico promovere v. g. ad Parochiam aliquem
Ministram hæreticum, quem putat minùs nociturum veræ Religioni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

§. 6. Antequam quis addicat operam hæretico, debet expressè apponere conditionem, ut permittatur observare præcepta Ecclesiæ, alioquin exponit se proximis periculis non observandi præcepta illa, ad quæ hîc & nunc tenebitur; poterit autem appositâ tali conditione tollere impedimentum proximum, ergo ad hoc tenetur. 107

Q: 24. An licitum sit Catholico administrare officium politicum apud hæreticos. R. Licitum est, si officium nullam habeat communicationem cum ipsa hæresi; si autem talem communicationem vel cooperationem habeat annexam, v. g. quia debet instituere Prædicantes, aut quoquo modo ordinare ministeria ad hæresin spectantia, est illicitum, quia non licet cooperari ad hæresin, neque eam defendere, ad quod tamen ejusmodi Officiales sæpe tenebuntur: neque hic est tantum materialis cooperatio, nam agunt tanquam subordinati intentioni supremi Principis hæretici, cujus autoritate ea faciunt, ergo etiam directè & formaliter tendunt in malum, quod Principes illi intendunt, ita *Pet. March. t. 2. t. 2. t. 2. f. 5. q. 3. d. 1.* 108

Q: 25. An liceat Catholico promovere, v. g. ad Patrochiam, aliquem Ministrum hæreticum, quem putat minus nociturum veræ Religioni. R. Si id faciat per consilium tantum, vel per preces & intercessionem, licitum est, quia potest consuli minus malum, ut impediatur majus alioquin eventurum: & tum non consulit absolutè malum, sed sub conditione, si alter eorum aliquem est electurus, ut eligat hunc præ illo: hinc etiam secundum *Lugo d. 14. n. 170.* non videtur illicitum, si Patronus 109

tronus

tronus Catholicus, ob jus, quod habet, præsentet & eligi velit unum Parochum hæreticum præ alio pejori, ubi hæreticus præsentari & eligi debet, nam præsentat illum ad actus, quos ex voluntate saltem præsumpta Ecclesiæ potest exercere: quòd si ipse postea velit sine titulo reditus ecclesiasticos sibi retinere, aut exercere ministerium suum ritu hæretico, ad hoc permissivè se habet Patronus, qui solum intendit impedire majus malum, neque intendit malum simpliciter, sed præeligit minus, prout est impeditivum majoris; Denique ipsius voluntas non deservit neque subordinata est voluntati alicujus alterius intendentis malum, uti fiebat in casu n. 108.

810 *Q. 26. An liceat hæreticos sepelire in loco sacro. R.*

§. 1. Si quis hæreticus ante mortem dederit manifesta signa conversionis, quamvis ab hæresi absolutus non sit, potest in loco sacro sepeliri, ita *Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 4. n. 9.*, ubi dicit ad vitandum scandalum prius esse admonendum Episcopum.

811 §. 2. In quibusdam Germaniæ locis ex longa consuetudine permittitur, ut notoriè hæretici in locis sacris sepeliantur à suis Ministris, ita post *Laym. & alios Lugo d. 14. n. 159.*, docens cum *Nav. Verj. & aliis*, Ecclesiam etiam non violari per sepulturam ullius hæretici, nisi fuerit nominatim denunciatus vel publicus percussor Clerici. Addit *Lugo n. 160.* Si Ministri hæretici publicâ authoritate usurpent sibi jus sepeliendi etiam Catholicos, non licere cooperari, sed posse permitti, quod impediri non potest.

812 §. 3. *Verj. t. 4. a. 9.* universaliter docet, per Jus canonicum, etiam præscindendo à consuetudine,